



1. Bock s. Friderici Samuelis / diff. De Notione
Immensitatis Dei amplificanda Cor-
respondatione magnitudinis Mundii.
Regionenti 1768. Autor J. C. Revers.
2. Bode s. Christophorus Augustus / Protevan-
gelium Generosus Cap: 111 Vers: XV. Helm-
stadt 1763.
3. Boehmer s. D. philip Adolph: / programma, de
Christo filio Boninoris, Halle 1763.
4. —— programma, addita est illustratio
addita est illustratio loci 1 Corinti xvi; vers. 51,
Halle 1766.
5. —— programma in Commentationem ad
illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Buekner s. D. Andreæ Eliæ / programma in
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack s. Joh: Tob: / programma paracleti
Appellatione Spiritui Sancto tributa,
Halle 1769.

9

DESCRIPTIO COMMENTARII
IN
SEPTUAGINTA INTERPRETES

CUIUS
PARTEM POSTERIOREM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINE

AD

IUS DOCENDI
CONSEQUENDUM

PUBLICE DEFENDET

IOANNES ERNESTUS FABER

PHIL. DOCT.

REGII COLLEGII REPETENTIVM THEOLOGICI COLLEGA
REGIAE SOCIETAT. TEUT. GOETTING. ET REGII INSTITUTI
DISCIPLIN. HISTORICAR. SODALIS EXTRAORDINAR.

GOETTINGAE D. XXV. MARTII CI^{CC}LXIX.

LITTERIS BARMEIERIANIS.

DESCRITIO COMMENTARII
IN
SEPTUAGINTA INTERPRETES
CONSENTIENTE AMPLESCENTE PHILOSOPHORUM
ORDINE
AD
IUS DOCENDI
CONSENSU
BASILEIC DILECTISSIMI
JOANNES ERNSTUS FABER
HIST. DOCT.
BECCHI DODDEGI RHEGEDIATUM THEOPOGICI COTTICE
MONTI. AEGEAE TUR. GOTTSING. ET SENSIS INSTITUTI
IN CHIRN. HISTORICIS. GÖTTINGER EXTRACCIONIBUS
GOETTINGAE D. XII. MARCHI CLIVIDOC XIX.
TITULUS. PARVULISSIMUS



Ex iis, quae priore parte disputavi (pergo enim, ubi desit oratio) facile intelligitur, non admodum placere illam rationem, Graeca metiendi ex Hebraicis, h. e. Graecis tribuendi notiones, non quas Graecae fert mos linguae, sed quas tu putas Hebraicis subesse. Non opus est, fingere hic exempla: petam ab iis, qui hanc rationem sequuntur. AQUILA Ps. V, 5. verba עַד גָּרְגָּל interpretatus est ita: ἡ προσηλυτεύσι σοι πονηρός. Veritatem quidam vir doctus: non est tecum impius h. e. tu non potes nec soles ferre impios. Nam quoniam גָּרְגָּל verbandi & vivendi notionem sibi subiectam habere putat, ab Aquila eandem potestatem tributam esse τῷ προσηλυτεύσι sumit. Quae est ratio incertissima. Nam si, relicta significazione frigidore, insuper dobia, vivendi & versandi, ex Arabici جَلْ usu clientelam substituam vertamque Hebraica: nec te sui patronum habet malus لَهْ, neque est in tua fide & clientela malus: nonne eodem iure dixero, προσηλυτεύσι apud Aquilam esse idem, quod aliquem patronum habere ac sui defensorem? quod quis ferendum existimat? Si Aquila alterutrum intelligi voluit, cur non posuit? dicentique, vertisse eum ad litteram sive proprietatem: hoc ipso, quod ita vertere voluit, τῷ προσηλυτεύσι, praeterquam quod advenam esse indicat, aliam rem non esse subiectandam, respondeo. Sumitur autem ita, quemadmodum dixi, Arabicum in Conjugatione IV. quae cum proprio esset,

A facere,

٤

facere, ut alius nobis clientis loco sit, significat: in fidem & clientelam aliquem recipere, in his *Hassan Ibn Noschba Adavensis*:¹⁾

نَحْنُ اجْرَنَا الْحَمْيَ كَلْبًا وَقَدْ اتَّهَا لَهَا

حَمْبِرٌ تَزْجِي الْوَشْبَحَ الْمُتَقْوِمَا *

Nos in clientelam recepimus tribum Calbitarum, quum eam debellarent

Homeritae, fraxinis rigidis prompti.

Vnde جار est cliens, in his:

بَزْنِي الْأَدَهْرِ وَكَانَ غَشْوَمَا بِابْيَيْ جَارِ مَا بَذَلَ *

Spoliavit me fortuna, ut violenta est, leone, cuius nunquam vili sorte cliens.

Cliens autem dictus ab hospitio;²⁾ nam qui apud hospitem diversebat, in quo propria vis verbi جار, جار, intelligitur, in eius fide & clientela erat. Causa igitur, cur saepe Interpretes Graeci, verba notionis ab hebraica multum discrepantibus poluerint, non ea fuit, quod Graeci vocabuli idem, qui Hebraici, usus erat, sed quod Hebraico aliam, ac nostri facere solent, potestatem, sive iure sive temere, subiiciebant. Quae ratio nisi curiose animo retineatur, incertissima erit futura LXX. Interpretum intelligentia. Ita enim lieuerit, Graeco affingere notationem, quamcunque inesse putas Hebraeo, & huic, quam videris habere Graecum. Sed si Graeca consuetudo & linguae ratio tulerit, vocabuli Hebraici significatus Graeco, quod Interpres vertendo substituit, omnino vindicandus est; isque non fictus, sed ab ipso Graeco interprete postulatus videbitur. Reclissime igitur S. R. ERNESTI³⁾ Iac. I, 5. σύειδην Hebraico

1) in Monum. Ver. Arab. p. 20.

2) uti iam monuit SCHULTENS, in excerptis ex Anthologia Veri, Poetar. -bam p. 423. & G. I. LETTE in obs. in aug. Deborae & Mosis carmina p. 115.

3) in der neuen theol. Biblioth. Vol. VI. P. I. p. 15.

Hebraico נִסְעָד convenienter exposuit: quod in Graeca versione pro eodem Hebraico obvium est, ut ibi verba: μη ἀνειδέσσοντος convertenda sint: nemini repulsa pudorem iniicientis. Atque hoc in primis fieri oportet in integris loquendi formulis. Itaque illa: ὅπος οὐδείς το προσωπου εὐτα in inscriptione Pl. XXXIII. verbum αἴσιος non ita sumo, ut v. c. in illis THUCYDIDIS ⁴⁾ γῆλοντο τας γνωμας, αἴσιοτεροι έγενοντο τας γνωμας, ubi est nihil aliud nisi μετεβληθησαν; sed apposite ad Hebraica יְמֻנָה אֶת בְשָׁנָתְךָ h. e. cum insaniam simulasset. Ita apud EPHRAEUM Syrum ⁵⁾ ~~ταῦτα~~ ~~ταῦτα~~? ~~οὐδεὶς οὐδείς~~? insanire quippe visi sunt Iudei: & alio loco idem ~~ταῦτα~~ ~~ταῦτα~~ insani. Vnde in N. T. est verbum ~~ταῦτα~~ pro ~~μανεδαι~~ obvium. Neque illud negaverim, significaciones nec LXX. Interpretibus, neque aliis auctoribus usurpatas, nonnullis Graecae versionis verbis male quaefitas esse inficitia legentium aut interpretantium, qui, quoniam Graeca sententiam continerent aut plane nullam, aut ineptam, aut obscuram, aut bonam, sed quam isti homines vel non perspicerent, vel perspectam non probarent, alienissimas quasvis inde exprimerent, postea usu frequentari coepit. Quod nemini novum & inauditum videbitur, qui THEODORETUM aut CYRILLUM, aut alias huius generis homines legit: aut qui quod versioni Germanicae LUTHERI accidit, mente & animo transtulerit ad Graecam. Sic inde a CELSI aetate frequens est morborum auctorum apud Medicos mentio, quae appellatio ex male interpretato vocabulo Graeco οἴξις, quo HIPPOCRATES usus erat, originem traxisse vero simile est. Nam οἴξις vocari sunt celeres ac subiti morbi, non acuti.

Hoc proposito, Graecis interpretibus ex auctoribus profanis, ubi opus fuerit, lucem afferre, non licebit modo, sed officijs quoque erit. In primis Interpres prudentissimus quisque consulet scri-

A 2

ptores

4) L. II. e. 59. VI, 106. coll. Io. Xienir. Epit. Dion. p. 373, 20.
5) opp. Syriacor. Tom. II, p. 115. alter locus est p. 125.

ptores eius aetatis aut proximos illi, in quam vitae Graecorum translatorum incidentur. Cuius generis sunt libri *Apocryphi*, a Iudeis Alexandrinis conficti, hisque utilitate pares PHILONIS scripta & JOSEPHI. Regionis etiam gentisque, unde oriundus quisque fuit, rationem habebit. Eiusdem enim & aetatis & gentis idem mos loquendi, nec nisi ingenio & cultu scriptoris varius & diversus. Ut autem eadem de causa cuiusque scriptoris sunt quaedam propria, minus trita aliis, ita nec Graecos similibus exemplis per omnia illustrare conabitur. In primis veterum *Glossaria HESYCHII, SUIDAE, PHAVORINI*, aliorumque, *Etymologicum magnum*, diligentiam eius adiuabant. Ex superioribus intelligitur etiam illud, LXX. Interpretibus, quae in quoque verbo sit intelligenda res, non esse temere fidem habendam: quod multis persuasum fuisse miror. Saepius enim insectia lapsi sunt. Neque tamen propterea omni utilitate carere censendi sunt. Multo enim frequentius, quam reliquae versiones antiquae, uti iam supra dictum fuit, priscas verborum notiones ab interitu servarunt: propterea quod eorum aetate lingua Hebraea nondum tot novis vocabulis notionibusque aucta fuit, quot postea pristinam eius faciem deformarunt: maior contra similitudo inter eandem, *Arabicam & Syriacam* intercessit. Quare harum omnium iusta scientia excultus erit Graecarum versionum interpres: nec vero facile in definiendis vocabulis assensum iis praebet, nisi aut ex linguae *Hebraeae*, aut *Arabicae* aut *Syriacae* aut *Chaldaicae* (quamquam huius usus lubricus est⁶⁾) hisque adiunctae Samari-

6) ut notavit Illustris MICHAELIS in der Abb. von der Syrischen Sprache und ihrem Gebrauch p. 36. sqq. data occasione illustrare conor difficultatum illud apud IESAIAM לְמִזְבֵּחַ quo, tanquam suae sententiae exemplo, usus est idem ille, quem praeceptorem ac fautorum veneror, atque COCCRI rationem pro acumine suo in dubium vocavit, quae illud Hebraicum cum Chaldaico בְּמִזְבֵּחַ circumcidere contulit, ut esset vinum circumcisum h. e. aqua mixtum, quemadmodum alias utuntur Hebrei בְּמִזְבֵּחַ mactare, quod etiam in anumerationibus ad hunc locum

Samaritanæ & Aethiopicae rationibus, de iis certior fuerit. Quae quantum saepe ad sententiam LXX. Interpretum perspiciendam adiumenti afferant, dici vix potest. Accipe exemplum de Aethiopica;

nam

cum observavit SCHULTENS^{ius}, Similem usum habet Arابum
nimirum interficere, quippe qui ingulare vinum dicunt pro miscere, ut

notavit RELANDUS in dissertatione de nummis Samaritanis; est حَشْ

ingulare de vino mixto apud C A A B. Z O H E I R I U M. v. 4. ubi
conferri potest L E T T U S. Sed Illusfr. M I C H A E L I S dubitatio
videtur iustissima. Nam حَذَّلَ chaldaeorum est ipsum Hebraeo-
rum circumcidere. Chaldaei enim, ut Syri pro Vau, que
apud Hebreos in radice medium tenet locum, sapienti numero sub-

stituunt He, ut pro حَذَّلَ currere dicunt طَرَدَ, طَرَدٌ, pro طَرَدَ pu-
defactus est, بَحَثَتَ &c. Quae quidem observatio quanquam non
est plane nova, quippe quam attigerunt BOXTORFIUS in Lex. Chal-
daico, & SCHULTENS in clavi dial. p. 217. ut omittam alios, non
dum tamen satis inde luminis Hebraismo quaequam fuit, ut forsan
ostendendi locus erit in animadversionibus in S. C. quas, quam primum
tempus tulerit, edere animus est. Sed apud Hebreos verba حَذَّلَ &
طَرَدَ plane diversa sunt. Itaque حَذَّلَ contulerim cum ar. طَرَدَ cuius
apud GOLIUM variae sunt notationes, ut commode, sensimque incidere
& agere, pice liquida intungere camelum: in II, moram concedere in IV.
Studio & diligentia utri in aliqua re: in V, lente procedere. Quas ommnia
ducta videntur a lento fluere. Unde coniugationis primae, secundae &
quintae usus manifestus est: quartae autem significatio inde petita est,
quod, qui multum operae in aliqua re ponit, non festinanter sed cir-
cumspicte agit & lente quasi fluit h. e. procedit. Quod confirmatur

nominibus. طَرَدَ fanies mortui, طَرَدَ aes fusum, amurca elei, olrum,
pis liquida, fanies &c. Itaque apud MACINUM in historia Saracen.
p. 239. in II. Conj. est: طَرَدَ عَلَى حَذَّلَ non lente fluere
fecit i. e. non remoratus sibi contra exercitum eius milites. Unde appa-
ret, apud IESAIAM I, 22. verba: סְבָאֵר מַחְוֹל בְּנֵי proprię
vertenda esse: vinum tuum liquefactum h. e. dilutum aqua. Veteres ad
unum omnes mixtum vinum substituerunt.

All. 3. etiam dilutum ei sunt.



nam de reliquis minor fortassis est dubitatio. 7) Immane quantum vexarunt verba Psalm. LXVIII, 19. לְקֹחַת מִתְנָהָה כְּאַרְבָּה Interpretes, si quidem Paullus Graece ita interpretatus est Eph. IV, 8. οὐαὶ ἐῶντος δοματα τοῖς αὐθεντικοῖς. Quamquam LXX. Interpretes hodie habent: ἔθαψες δοματα ἐν ἀνθρώπῳ: facile tamen haec a sciole, eorum loco quae Paullus haberet, intrudi poterant, cum praesertim *Syrus* Δέσποινα dedisti convertit, neque aliter *Chaldaeus*, *Arabs*, *Aethiopsque*. Quam interpretationem ex Paullo haustram, quae est sententia *WALTONI*, haud credibile est. Nam Aethiopicum מְרֵל (litteris hebraicis utendum est ob inopiam Aethiopicarum) proprie est mutuo dare: Unde hoc loco simpliciter dare est. Vides igitur causam Versionis *Paulinæ*. At unde, dixerit quispiam, vis accipiendi, quae inest alias Hebraeo? ista quidem ita orta videtur. Verba, quae dicuntur, activa, saepe reciproca sunt. Ita cum לְקֹחַ proprie fuerit mutuo dare, frequentatum deinde fuit pro eo, quod est mutuo sibi dare h. e. mutuo accipere, quam verbi potestatem apud Aethiopes in Conjugatione VI. obviam placet vindicare Hos. I, 2. coll. III, 2. ut sententia תְּשִׁבְתָּ לְקֹחַ vertenda sit ita: *mercede tibi conduc uxorem.* Vnde de quacunque re accipienda usurpatum. A dandi vi ac potestate ducta etiam videtur versio illa Hebraicorum Graeca, non minus, quam Latina atque Arabica, Prov. IV, 2. כִּי לְקֹחַ טָבָב נְתִירִ לְקֹחַ δωρου γαּעֲזָבָיו δָבְרָעָנוּ וְעַבְדָּו. Sed interpretationis parte confecta, sequitur locus de varietate scripturae.

Illud

7) Si linguae illas universum Hebraicum illustrant, facile apparet, illas in hac quoque re utilitatem praeflare. De Arabicâ autem lingua quis dubitet hodie? profecto malae causae suspicionem excitem, si OLAUM CELSIUM, HOTTINGERUM, HUMTIUM, HYDIUM, cuius de lingue Arabicæ antiquitate, praeflantia & utilitate commentationem nuper edidit SHARPIUS, SCHULTENS, vel III. MICHAELIS Mittel die hebraesche Sprache zu lernen, eiusdemque praef. in Chrestom. Syr. aliquos de hac re Auctores, ut CELLARIUM, qui de Chaldaicui usu non male praeccepit, laudare velim.

Illud autem constat inter omnes, codicem Hebraeum a versione Graeca immane quantum discrepare. Quam ob causam operae omnino pretium est, unde tanta varietas profecta sit, anquirere & investigare. Vnus enim olim, hoc est, ante exilium Babylonicum, sine dubio codex fuit, quantum quidem eius extabat, qui in plures quasi describendo diffusus, non ita sui dissimiles poterat ex se se gignere, ut hodie esse, oculorum argumentis patet. Discrepabant, at non nisi librariorum mendis: toti iidem erant. Neque vero tanta poterat esse mendarum multitudo & magnitudo, quanta hodie alii codices & versiones ab aliis dignoscuntur. Est igitur discriminis causa aliunde arcessenda. Quoniam vero iam non ago de omnium codicum versionumque discrimine, sed de eo tantum, quod inter Graecam translationem codicemque Hebraeum intelligitur; in uno hoc discrimine explicando omnis opera mea versabitur: ut tamen ad summam modo de his dicam: nam singula, quae sunt pene innumera, persequi iam nec animus est, nec patitur propositi spatii angustia. Sed alio fortassis tempore de hac re copiosius. Quoniam igitur, ut modo dictum est, librariis discrepantiae, de qua quaerimus, culpa omnis tribui nequit, aliorum hominum studia acceperint necesse est. Quod vera accidisse, non uno loco queritur HIERONYMUS⁸⁾. Sed acerbis istis Sancti patris querelis de incredibili LXX. Interpretatione, haud magnam fidem habuisse, propterea quod novae versionis a se suscepitae necessitati haec in LXX. Interpretates crimina praetendisse videbatur:

nisi

8) Praefat. in Paralip. in Esdram, in Iobam, ad Domitionem. AUGUSTINUS Lib. XV. de Civit. Dei cap. 13. Aristeae fabula deceptus, Graecae versionis a codice Hebreo discrepantium nec malitia Iudacorum (ut placuit IUSTINO MAR. in Dial. contr. Trisp. & multis Patribus aliis, quin & nostrae aetatis hominibus) vel prudentiae Septuaginta Interprerum, sed scriporis tribendum esse putat error, qui de Bibliotheca Prolem regis codicem describendum primus accepérat coll. eodem libro cap. 2. vid. ISAAC. VOSSIUM de Septuaginta Interpretibus coramque translatione cap. VIII. IX. X. coll. CHRISTIANI SCHOTTANI Dictione de Autoritate versionis Graecae adversus Iacobum Vossium. Fraeck, 1663.



nisi in primis ORIGENES eadem questus esset. Sed ne sic quidem tantae varietatis causam & rationem omnem explicatam video: quantumvis mente & cogitatione corruptelarum numerum auxeris. Quicunque enim Graeca immutare ausi sunt, si a librariis discesseris, aut bono aut malo consilio fecisse putandi sunt. Illi sine dubio substituerunt pro obscuris & corruptis, salem quae talia visa fuerant, intellectu faciliora, aut quae censerent nativa, hoc est, emendare non vitiare voluerunt. Quo studio hoc certe effectum fuisset, ut oratio lenius fluueret, esset magis perpetua nec mente passim cassa. Quod longe alter hodie reperitur, demas licet fuerint, si fieri possit, notae Alexandrinis de industria quasi inustae. Iudei autem & verae religionis hostes vel etiam ipsi homines christiani, etiam si vere sententias nonnullas corruperint, plurimas certe integras nullisque vitiis intactas reliquiss, nec corruptionem tanquam pestem omnes codices pervasisse, facile existimari potest. Quare versio Alexandrina aut prorsus deperdita censeri debet, ut SANT. PAGNINO & IAC. VSSERIO visum fuit, aut non ex Hebraeo, sed ex alio codice, ut Samaritano, quemadmodum placuit HOTTINGERO, derivata; quanquam ne sic quidem expeditior aequorque sine offensis via inveniatur ⁹⁾, aut huius ab Hebraeo codice discrepancia partim aliunde repetenda est.

Neque illud nego, potius quam maxime habeo persuasum, opus Origenianum hoc incommodi attulisse Alexandrinorum Versioni, ut ex Aquilae, & Symmachi, in primis Theodotionis tralationibus variae transirent laciviae in Alexandrinam: praetereaque & ante Aquilam & post absoluta Hexapla nec pauca nec levia irrepsisse glossmata & unius verbi aut loci primitivae interpretatione additam hinc inde esse aliam ac veteris historiae reliquias quasdam intrusas: quamquam, ut GRABIO & KENNICO placet, Alexandrina plures fuisse ante Aquilam versiones Graecas, inde tuto colligi

9) coll. ISAAC VOSS. I. c. cap. XXVII.

ligi nequit. ¹⁰⁾ Multa etiam videntur immutasse *Hesychius*, *Lucianus*, *Eusebius* & *Pamphilus*. Verum ne haec quidem omni dif-
fensus origini explicandae sufficere videntur.

Eo igitur abeamus, quo reliquae versiones sacro codici haud
multo magis conformatae nos vocant. Hinc ad fata illius animus
paullulum traducendus. Arte critica inter Iudeos haud prius
quam versus Christi aetatem, ut videtur, inventa & recepta, quin
per totum illud temporis intervallum, cui vatibus gloriari non con-
tigerat, multa via vel per negligentiam librariorum admissa, vel
peccato Iudeorum studio quæsita, Hebræos codices inquinare coe-
perint, hoc quidem supra omnem dubitationem *hodie* ¹¹⁾ possumus
esse debet. Pace ac libertate Maccabæorum virtute restituta, cum
expurgari codices tollique mendae coepissent (nam in haec tempo-
ra, ni fallor studii critici initia inter Iudeos incident) homines lit-
terarum rudes neque ingenio elegantiae, pulchritudinis, venustatis,
assuetudine subacto, animo etiam præiudicatis opinionibus abrepto,
quæ recta sine in quaue oratione & prava, quæ pulchra & defor-
mia, in emendando ubique satis discrevisse, aut ante corrupta de-
levisse, quis existimet? Histamen studiis codices Palaestini ad mag-
num pedetentim consensum amicamque concordiam perduci, ab
Aegyptiis, quorum quidem haud magna fortassis copia fuit, non
minus, quam a Samaritanis & Chaldaeis dissentire coeperunt: quo
dissensu in dies aucto, in varias tandem partes cuiusque gentis co-
dices abierunt. Plurimos quidem vincula Masoræ, novam con-
spiratio-

10) Quae conjectura non magis placet, quam *MONTEFALCONI* & *RICH.*
SIMONIS de quadam Graeca Codicis Samaritani nec minus Syriacæ
versionis translatione, in eius Praelim. in Hex. Orig. p. 29. sqq. ed.
Babrdi, coll. V. R. *SEMLERI* *Vorbereit.* zur theol. Herm. II. St. p. 238.
sqq. & 358. sqq. & 421.

11) Nolo hoc loco *KENNICOTT* labores laudare: Coll. ANT. *HULSIR*
Authentia absoluta s. textus Hebrei contra Is. Voss. Roter. 1672.

◎ ◎ ◎

spirationem molientis, mox constrinxerunt: sed huius auctoritas in versiones vana & irrita fuit. Nam eo ipso tempore, quo Iudei artis criticae usu adhuc caruerunt, versionis Graecae partes, intervallis aliquot interiectis, in lucem prodiere, ut eodem ferme tempore, certe non multo post, primordia quaedam Chaldaeae: quam temere longe inferioris aetatis nonnulli, ut nuper DIODATUS, ¹²⁾ fecerunt. Quam ob rem minus recte censetur Graeca versio codicis Hebraei, quem a Iudeis acceptum tenemus hodie: si quidem illius antiqui, ex quo, tamquam e fonte aliquo, codices Hebraei, cum Alexandrinus, rum noster, manarunt, exemplum ad nostram illa memoriam propagavit. Intelligitur etiam illud, variis errores ex codice Hebraeo in LXX. Interpretes transisse, critici tamen acuminis ac subtilitati nequaquam contempnendo. Quo proprius enim error a sua quisque abest origine, eo sincerior est ac simplicior: offertque veri indicia clariora, quam qui per varias formas mutatus conspectum subit. Itaque ex falsis etiam utilitatem capiet interdum Graecae versionis Interpres, indeque, quae accesserint ad verum proprius, exquireret. Sed eadem de causa meliores passim nobis conservavit scripturas, quam Hebraeus, si quae in hoc aut iudicum male sedulorum inscrita, quae ubi error lateat ignara, saepenumero vel probatissima tenet, aut incuria oscitantium librariorum perierunt. Atque haec quidem erant praeparanda in primis eorum causâ, qui ullam in hac parte LXX. Interpretibus auctoritatem concedere sibi religioni duxerunt. Quo ipso pene omnem huius versionis utilitatem e mundo sustulerunt: sed quam temere, ostenderunt CAPELLUS, WALTONUS HOOBIGANTUS, KENNICKOTUS. Iam ad reliqua, quae ad hunc locum pertinebunt, expeditior transitus erit.

Ac

- 12) in *Exercitac de Chiro graece loquente Neapol.* 1767. Vossius quoque, nullam esse chaldaicarum Paraphrasium, quae mille annis non sit recentior, censuit l. c. p. 88.

Ac quoniam proposita sunt plura naevorum in Graeca versione genera, quibus modis elui ea oporteat, porro anquirendum est. Nam codices scripti, qui in hoc genere principem alias locum tenent, interpretis deserti spem saepe numero fallunt. His aequiparanda sunt, non auctoritatis quidem pondere, at vero magnitudine utilitatis, plura huius versionis loca a Patribus laudata: quippe quos non ad codicum fidem expressisse, sed, prout quisque memoria teneret, retulisse pleraque constat. Nec minus sua MONTEFALCONI *Hexaplis*, nuper a celeberrimo BAHRDTIO denuo descriptis, in hac re utilitas manet. His adiungendi PHILO ac JOSEPHUS¹³⁾. Alia quasi seges pater in Glossariis veterum, HESYCHII, SUIDAE, reliquorum. Multo tamen fertilior ac laetior in codice Hebraeo¹⁴⁾. Cavendum vero, ne Graeca Hebraicis addendo, afferendo, transponendo conformemus ubique: Lubrica profecto ratio neque ullo pacto ferenda. Sed ubi unius aut duarum litterarum earumque simillimarum mutatione scriptura emergit, quae Hebraeae est consonantior, neque ex Hebraicae levi immutatione facilius potest consensio reperiri; priorem rationem posteriori praeseramus¹⁵⁾. *Habac.* II, 11. talia leguntur: *כִּי אָבֵן מִקְרָר הַזֹּעַק וְכַפֵּס מֵעַ יָעַנְהָ* nam lapis ex pariete occlamabit

13) Iosephus quidem ut plurimum Hebraeo codice usus est: quod quamquam est certissimum, tamen non firmo sunt argumento loca a KENNICO TO p. 352. Diff. II. ver. S. R. TELLERI allata: quare illius usus in hac re paullo est incertior. Sed PHILO, quamquam cum Hebrei sermonis gnarum fuisse, GRABIO, HODIO, KENNICO TO concesserimus, tamen fere constanter Graecam Alexandrinorum versionem sequitus videtur.

14) Eo spectat libellus tenui argumento: *Lettre d'un Theologien de Salamanque, sur le reraffissement du texte de la Bible des Septante: nugaciores TOURNEMINUS & SOCIETUS: quorun sententiae leguntur in Memoires de Trevoux 1709. p. 927. sqq. coll. Ven. SEMLER. l. c. p. 342.*

15) Ad quam rem haud parum adjumenti afferret, si quis eandem operam insumeret codici Hebraeo, quam navavit emendandis Patribus Latinis.

clamabit eique succinet e ligno. כְּפִיר. Quae spectare mihi quidem
 (nam alii alter) videntur ad manum illam, quae apud Dan. V, 5.
 oraculum quoddam parieti inscriptis. Quid vero illud כְּפִיר? equi-
 dem baculos istos, qui in aedificiis vilioribus, interjequi trabibus &
 tortu quadam innexi luto illini solent, pro quibus in aedificiis lau-
 toribus magnificentioribusque lapides adhibentur, sic dicta volue-
 rim. Ut enim יְהֹוָה prior קַרְבָּלָה ita כְּפִיר proximo ex adver-
 se respondet. Vnde SYMMACHUS: συνδεσμός ὑποδομής ἔνθετος &
 quinta Editio: συνδεσμός ἔνθετος. Similiter veterum plures. Nam
 hodie, duce BOCHARTO,¹⁶⁾ ex usu Talmudico, late-
 rem longum sesquipalmo volunt, quam ipsam vim ex superiorae ea-
 que, ut videtur nativa, repertam puto. Consentit verbi origo
 ducta a ئَنْكَسْ involucra fasciae infantis, unde ئَنْكَسْ contortus
 fuit. Iam LXX. habent hodie ναυθαρον scarabaeum, quamquam
 CYRILLUS & THEOPHylACTUS συνδεσμον των ξυλων verten-
 dum coniiciunt magis quam probant. Arabs autem κλάυς, paxillus:
 qui alias Graeca de verbo expressit; ex eodem fonte haust fortas-
 sis Syrus suum κλάυσιν clavus. Quare LXX. pro ναυθαρος videntur
 scripsisse ναυθαρος: ναυθαρος enim BOCHARTI est alienissimum. Quam-
 quam enim de eadem re ναυθαρος alias non occurrit, tamen ex usitata no-
 tione facile ea, quae est apud Alexandrinos, derivari potuit: POL-
 LUX:

MORELUS in *Elements de Critique* licet eius ratio per omnia nobis pro-
 bata non sit. Tentavit eiusmodi aliquid, sed vix memoratu dignum
 MONTFILCONUS in *Praeliminibus*, ratione litterarum Hebraicarum p. 56. sqq. & ratione Graecarum p. 97. sqq. coll. HOTTINGERI
Thebaur. Phil. p. 352. sqq. CARPOV in *Crit. S. ven.* SEMLERI Vor-
 ber. II. p. 284. sqq. al. Sed ante opus est *Palaeographia Hebraica cui*
Tractatus diplomaticus (*Traité de Diplomatique*) quodam modo infer-
 vire potest: etiam Ios. BLANCHINUS in *Evangeliar. P. II. Vol. II. post*
 pag. DCIII. &c.

16) in *Hierozoico* P. II. L. IV. c. XXIV. p. 612. sqq.

LUX: περὶ δὲ ὁ τοις πιθανοῖς πληγούστον πῆλον περιπέντε πλάττεσι, τε-
το τὸ ξυλόφιον κακοβόσκαλεται¹⁷⁾). Similiter HESYCHIUS; ναναβοίτα
ξυλο, περὶ ἡ το πρωτον ὁ πλαχοῖτον κηρον τιθεσιν¹⁸⁾). Plura exempla in
medium non affero, cum praesertim in hoc genere universo plus inge-
nii sagacitas, quam artis praecipita valeant. Aliam viam ad melio-
rem scripturam saepius inveniendam monstrant veterum versiones,
quae ex Graeca quocunque modo derivatae sunt, in hac illae qui-
dem parte longe utilissimae, at Graecae versionis interpreti pluri-
num negotii facessent. In quibus ordine colloquandis si ratio ha-
beatur aetatis, quoad de ea constat, quod ad scripture cuiusque
antiquitatem aestimandam in primis valet, primum locum tenet La-
tina versio Latinarum ecclesiarum olim communis, ut suam Graeci
vocabant νοῦν. Neque enim solum in Itala¹⁹⁾ emendanda, quae
ex Graeco Latine traducta fuerat, sed in nova etiam Codicis He-
brei versione HIERONYMUS Graecos tanquam duces in altera
quidem semper, in altera saepenumero, sequutus est: aut etiam
plura ex versione Latina in Graecam translatam sunt, aut Alexandri-
na ex Graeca, quae ex Latina manavit, emendata est. Quae res,
cum sit difficillima iudicari, singulari disquisitione egero. Sequitur
versio Syriaca²⁰⁾, quam simplicem vocant (nam quale tota est
versio eiusdem aliud nomen est), etiam supradicta anno 2000
17) libr. VII, 164. adde lib. X, 89.

18) Vbi vid. Interpp. Paullo alter SVIDAS in κακοβόσκαλεται.

19) Quam qui restituendam suscepérunt laudatos vid. in D. PETRI SABA-
TIE Biblio. sacr. Lat. ver. ant. seu vet. Italic. in I. Volum. Praefat.
Part. III. §. 165. sqq. Italiam testimoniorum V. T. a Christo, Ap. &
Ev. allegatorum in IV. S. Evangelii attulit quoque Ios. BLANCHINUS
Evang. P. II. Vol. II. p. DCV.

20) Ne quis miretur, me Syriacae versioni secundum post Vulgatam tribue-
re locum, is eius aetatem incertissimam esse velim cogitet. Poterat,
fateor, eadem opera Italae praeponi, sed non maiore verisimilitudine.
De interpolationum in versione Syriaca obviarum aetate multo minus
constat. Sine dubio plures duabus fuerunt Syris Bibliorum V. T. Ver-
siones: forte etiam ea, quae in Bibliis Polyglottis extat, non est anti-
quissima. ISAAC vero VOSSIUS qui illud exemplum vix putat quin-
que aut sex facculis antiquius, nimis a vero aberrare videtur.

ex Graeca versione confecta, magno harum litterarum incommodo nondum est, quod sciam, typis exscripta) quae haud pauca est ab Alexandrinis mutuata vel ad eorum exemplar hinc inde corredita. Arabicae versiones, ut plures sunt, ita aliae ex Hebraeo, aliae ex Graeco, aliae ex Syriaco, aliae ex Latino codice descriptae sunt. Sed plura, quae ad hanc disputationis partem referuntur, praetermitto, nec reliquam Versionum antiquarum *Copticae, Aerbiopicae, Persicae*, mentionem haec brevitas capie. Illud modo addendum, ut codicem Hebraeum, ita etiam illas translationes, quae proxime inde manarunt, non sua in hoc studio utilitate carere, ut *Pentateuchum Samaritanum* cum eiusdem Versione *Samaritana*, & *Targumim*, praecipue ubi ex Syriaco fluxerunt²¹⁾.

Quae adiumenta omnia, quamquam in investiganda invenienda que vera & sincera versionis Graecae scriptura interpretis operam dirigunt provehuntque: nihil tamen ostendunt, praeterquam quod illa aetate, in quam cuiusque auctoris vita incidit, atque in eo codice, quo est usus, talis scriptura fuerit. Iam vero in eo ipso loco, de quo quaeritur, falsa lectio potuit inferri, vera confervari in aliis, nisi ea aetate periusset. Quod quam saepe acciderit, ex auctoris cuiusque aetate, quamquam illa plerumque obscuriore, coniici, plenius intelligi ex ipso monumentorum usu posset. Quam ob rem opus est saepenumero ingenii vi & solertia, quae ex corruptis sana eruat atque nativum scriptoribus restituat decus. Quae quidem ars multis invisa, sed a veteribus ipsis usurpata & inculcata, meo patrocinio non admodum eget²²⁾. Praestat ad quaestionem illam,

21) de Versione Chaldaica Proverbiorum id satis constat, quemadmodum, post RICH, SIMONUM, & Ven, SEMLERUM ostendit cel. IO, AUG, DATHE in Progr. de ratione consensu versionis Chaldaicae & Syriacaе Prov. Salom, Lipf. 1764. idem nuper notavit ill. MICHAELIS in Præfatione ad Chrestom. Syr. Sed similem consensum observasse mihi videor etiam in aliis libris: qua de re alias plura.

22) Nec defuerunt, qui hos studium tentarent, DRUSIUS, BOSIUS, GRABIVS, contra quem nuper prodit diss. qua mutationes in textu codicis

illam, de qua in utramque partem disputatum fuit: utrum LXX. Interpretes codice Hebraeo usi sint signis vocalibus instructo, necne: quam brevissime respondere²³⁾). Mihi quidem, qui origines vocalium ad ea tempora, quibus linguae Hebraeae usus magis magisque languesceret²⁴⁾, referendas puto, quum ante libri sacri non difficilis legi potuerint punctis vocalibus carentes, quam Coranus, ante quam vocales huic accessissent²⁵⁾, illa videntur fuisse ab initio nihil aliud, nisi notae quedam, quas pro suo quisque arbitrio formatas verbis, quae ambiguam haberent appellatorem, quounque modo adiiceret. Quales LXX. interpretes suo quoque codici passim adiectas habuisse videntur. Plures post excogitatae (nam forsitan ab initio numerum ternarium non excesserunt²⁶⁾) atque

codicis Alexandrini a Gradio ex conjectura factae ad examen revocantur Praefid. cel. IO. LUD. SCHULZE auct. IO. HERM. SCHWARZ. Hal. 1768. Eiusdem argumentum olim iam prodierat DAV. BERNHARDI diff. de locis quibusdam secundum LXX. Intt. ex sententia Lamb. Bos. enundandis. Wit. 1721. ut editores auctorum profanorum aliquosque omittam, qui vitiis LXX. Intt. hinc inde subvenierunt.

- 23) negarunt passim multi, quos opera non pretium est nominare: affirmatum est peculiari disp. quae extat dans l'histoire de l'Academie des Inscriptions, & belles lettres. Tom. XIV. p. 179.
- 24) interiisse iam tempore Macabaeorum nuper DIODATUS, nisi temere, certe non satis ἀξιωματικον pronuntiavit. Aliorum sententias collegit VEN. SEMLERUS I. c. II. p. 274.
- 25) vid. HERBELOT. Bibl. Or. p. 87. GEORGE SALE in the preliminary discourse of the Koran, translated into English. Lond. 1734. Sed alios alteri sentire non ignoro. Vid. cel. NAGELI. ad Pfäffler. cr. S. p. 94. & SCHULT. in Inst. Ling. Hebr. Persae vocabula punctis vocalibus carentia haud difficilis leguntur, quam iisdem instructa, vid. Voyages du Chev. CHARDIN en Perse Tom. III. p. 148. qui vocalium in scriptura Orientali necessitate a linguarum mutatione appellatique diversitate profectam bene monet.
- 26) vid. Illustr. MICHAELIS Obs. de Syror. vocal. ex Ephraemo, in Comm. Soc. Reg. sc. obl. per annos 1758 - 1762. p. 166. sqq. add Eiusd. Kleiner Schriften Sieb. St. von dem Alter der Hebräischen Vocalen, und übrigen Punkten.

que in artis formam redactae, quoniam in nostris codicibus plerumque extant, iisque convenienter codicis interpretatio, quoad fieri potest, hodie institui solet, si aliter quodvis verbum appellaverint LXX. Interpretes, ad scripturae *hodiernae*, non vetustae h. e. quae ante exilium Babylonicum obtinuit, varietatem omnino referenda ea discrepantia videtur. Sic doctorum virorum ea de re dissensum facillime componi posse puto. Cui quaestioni affinis est alia: num litterarum vocalium usus (vulgo matres lectionis vocant) olim fuerit in librariorum arbitrio positus, an eadem, quibus reliquarum litterarum mos, lege constriccius. Quam quidem quaestionem ita dissolvendam existimo, ut ante signorum vocalium initia, litterarum & vocalium & consonantium eandem rationem fuisse affirmetur: sed postquam illa signa addi codicibus coeperint, litteras vocales omittere, addere, librariis licuisse dicatur. Itaque litterarum vocalium quaevis varietas inter scripturae discrimina omnino est numeranda²⁷⁾, atque in Commentario in LXX. Interpretes diligenter observanda.

Ex quibus omnibus efficitur, tribus potissimum partibus universum interpretis Graecarum versionum contineri officium: ut primo, quae sint obscura, explicit atque illustrat, quaeque sint versionis cuiusque alienioris caussae ac rationes, investiget; deinde ut de scripturae Graecae indole ac natura iudicet, iisque ducibus, quos supra nominavi, pravis rectiora substituat, ad eaque reperienda mentis sagacitatem & felertia usu adiuta & confirmata valeat: tertio ut quibus in locis Graeca ab Hebraicis dissidente, quaeque sint discrepantiae caussae, exquirat & obseruet. Quibus quidem omnibus ut diligenter satisfiat, perpetua & acris utriusque codicis, non neglectis caeterarum versionum Graecarum reliquiis, facienda est contentio. Genus autem dicendi colet se habiturque illud, quod

27) Contrarium nuper efficere studuit doctiss. aucto^r disp. de *matribus lectionis librariorum arbitrio olim reliquis praef.* Ge. I, L. VOGEL, auct. P. C. H. HECHT. Hal. 1767.

quod & perspicuitate & brevitate se commendet: omni contra studio illud declinabit vitium, quod fere per omnes in libros sacros dominatur commentarios iisque quodam modo proprium videtur hodieque potissimum ulterius serpit, atque fere per omnia scripta, quae ad philologiam sacram pertinent, summo huic detimento, latissime patet, longissimas puta orationis ambages, circuitus & anfractus, supervacanea insuper eaque molestissima verborum copia taedium parientes, legentibus autem subripentes tempus, quod rebus poterat gravioribus insumi. Quibus commentarii persequendi partibus expositis, quam lubricum sit hoc munus, quanta difficultate implicitum, quam amplam postulet rerum cognitionem, in promtu est existimare: ut, nisi gravissima onera &, ut ita dicam, confragosa dumeta, per quae iter emetiendum est, ad iucundissimam mirificae utilitatis spem ac cogitationem interpretrem traducant, laborem ponere, quam in se recipere satius videatur. Atque si campus ille, quem aperit philologia Orientalis, iam est amplissimus ²⁸⁾: quam late patienti tandem se dabit Alexandrinorum interpres? Quia difficultatis magnitudine perspedea, nemini vereendum est, ne me parem hoc tempore huic labori & suscipiendo & perficiendo existimem: quo quid arrogantius, quid stultius dici possit? Quid humeri valeant, quid ferre recusent, novi. Sed quoniam nunquam eiusmodi opus habebimus, nisi maturo se ad id accinxerit futurus interpres, hoc mihi propositum est, quantum temporis ex iucundissimo theologiae studio, cui me & animi voluntas & officij ratio adstrictum tener, relinquatur, huic operi dicare, consecrare. Atque hoc quidem in


28) quem egregie descripsit Illustr. MICHAELIS in *Oratione de connubio felicibus auctorum disciplinarum cum philologia Orientali: quae extat in Syntagma Commentarii*, P. II. Goett. 1767 p. 157. coll. BUDDEI diss. de idoneo sacrar. literar. interprete A. & R. IO. IAC. RAMBACH; in eius miscellaneis sacris, Jen. 1727. P. III p. 1234. sqq. Addo hoc loco libellum, qui in priore huic disputationis parte p. 1. laudandus erat. Est Disputatio cel. IHRII de usu LXX. Interpretum in N. T. habita sub praesidio ALSTRINI: quae Cl. M. GUST. MURRAY beneficio mihi innotuit.


in causa fuit, cur hoc tempore, quibus studiis ad id elaborandum opus sit, explicarem, non quidem singulorum copiam persequendo uberius, quod forsitan alio tempore fiet, sed summa tantum capita attingendo: ne ad eum laborem, cuius proximo tempore specimen edere animus est, nondum persensa eius difficultate, accessisse temere viderer. Cui consilio ut viri doctissimi faveant, est, quod etiam atque etiam exopto.

APPENDIX.

- I. *Quod per somnium in alias quasi regiones translati saepe nobis videmur, sensuum, praesertim visus & auditus, inertiae ac torpori debetur.*
- II. *Maior in hominum animis vitiorum quam virtutis vis, citiusque incrementum; difficilior contra virtutis ortus ac processus tardior pravam mentis humanae indolem haud obscure produnt.*
- III. *Sententia nova, quae mali genii obsessiones, quarum in N. T. fit mentio, ab eiusdem vi in terrae atmosphaeram repetit, a veri specie abhorret (coll. libro, qui inscribitur: A Dissertation on the Nerves by WILLIAM SMITH, Lond. 1768.)*







78 L 1708

ULB Halle
002 390 507


3



Sb.

Hil. 100.

1766
1766



9
8
7
6
5
4
3
2
1
0
Inches
Centimetres
B.I.G.
Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

DESCRIPTIO COMMENTARII
IN
SEPTUAGINTA INTERPRETES

CUIUS
PARTEM POSTERIOREM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINE

AD

IUS DOCENDI
CONSEQUENDUM

PUBLICE DEFENDET

IOANNES ERNESTUS FABER
PHIL. DOCT.

REGII COLLEGII REPETENTIVM THEOLOGICI COLLEGA
REGIAE SOCIETAT. TEUT. GOETTING. ET REGII INSTITUTI
DISCIPLIN. HISTORICAR. SODALIS EXTRAORDINAR.

GOETTINGAE D. XXV. MARTII CICLOCLXIX.

LITTERIS BARMEIERIANIS.